



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

2 An conueniens sit tempus celebrationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

dam, siue illa sola, siue cum alia cōiuncta sit. Nec promissio orationi facta, limitata est ad vnam orationē solam. Ex his ergo colligitur, quid sit de sacrificio dicendum: nam, si applicetur ad multa impetranda, quæ vna generali petitione continentur; sicut talis oratio minus efficacax est in singulis, ita etiam sacrificium minus tunc impetrabit pro illis, quia proportionatur orationi. Ad quod etiam confert, quod hic effectus impetrationis non est semper infallibilis, vt supra dictum est, quia nec fundatur in promissione, neq; habet semper coniunctam absolutam Christi voluntatem: & ideo, vt de facto impetret, multum iuuare potest modus petitionis, specialis vel generalis: si vero sit specialis oratio, quamuis hæc multiplicetur, & vnum sacrificium ad omnia illa impetrandū offeratur, æquè potens erit ad omnia & ad singula: quia ipsum de se semper est æquè sufficiens, & alioqui ex parte orationis est etiam æqualitas. Hoc autē non obstat, prodesse poterit multiplicatio sacrificiorum ad effectum impetrationis: quia, cum non sit infallibilis, fieri potest, vt, quod semel non conceditur, postea obtineatur, vel propter dispositionem petentium, vel eorum, pro quib; fit oratio, vel propter alias occultas rationes diuinæ sapientiæ. Deniq; propter has etiam causas multum expedit simul cum impetratione applicare effectum ex opere operato, ei pro quo fit oratio, vt sit purior, magisq; dispositus ad obtinendum petitionis effectum.

Consecrariis  
quod ad  
nam dignū

Ad funda-  
menta alia-  
rum opinio-  
num respon-  
sio.

Ad confirm-  
ationem re-  
spondetur.

Fundamenta aliarum opinionum fere non indigent noua responsione. Ad fundamentum enim primæ opinionis, iam responsum est, infinitatem sacrificij per se quidem conferre ad impetrationem, non vero ad effectum ex opere operato, nisi media promissione, quam esse oportuit, de effectu definito, vt satis explicatum est. Vnde ad naturam & perfectionem sacrificij satis est, quod oblatum à pluribus, omnes æqualem fructum percipiant, & oblatum pro pluribus, omnibus æquè impetrare potest. Quod vero etiam ex opere operato æqualiter eis profit, neque est consequens ad naturam sacrificij, neque pertinet ad conuenientem institutionem, vt satis explicui. Vnde ad confirmationem respondetur, primum inconueniens ibi illatum non sequi, quia plures audientes sacrum sub ea ratione offerentes sunt, & ideo vnus non impedit alium, quo minus suum integrum fructum accipiat. Secundum autem, quod ibi inferitur, non est inconueniens: nam hoc ipso, quod plures sunt in populo, pro quo generatim fit oblatio, eis minus specialiter applicatur, fructusq; finitus in plures partes diuiditur; & ideo mirum non est, quod singuli minus accipiant. In secunda opinione nihil adducitur, quod noua responsione, vel refutatione indigeat.

ARTICVLVS II.

Verum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

4. dist. 13. qu. 1. art. 2. q. 4.  
Art. preced.  
In prefat. 2.  
Psal. 21. cir-  
caprin. 10. 8.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterij. Hoc enim sacramentum est representatiuum Dominicæ passionis, vt dictum est. Sed commemoratio Dominicæ passionis fit in Ecclesia semel in anno. Dicit enim Augustinus super Psalm. 21. Quotiescunq; Passio celebratur, numquid toties Christus occiditur? sed tamen anniuersaria recordatio representat, quod olim factum est, & sic nos facit moueri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari, nisi semel in anno.  
2. Præterea, Passio Christi commemoratur in Ecclesia, sexta feria, ante Pascha, non autem in festo Natalis. Cum ergo hoc sacramentum sit commemoratiuum Dominicæ passionis, videtur inconueniens esse quod in die Natalis rei celebra-

tur hoc sacramentum, in Parasceue autem totaliter intermixtur.

3. Præterea, In celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi. Sed Christus consecrauit hoc sacramentum hora serotina. Ergo videtur, quod hora tali debeat hoc sacramentum celebrari.

4. Præterea, Sicut habetur de cons. dist. 1. Leo Papa scribit Dioscoro Alexandrino Episcopo, quod in prima parte diei Missas celebrare licet. Sed dies incipit a media nocte, vt supra dictum est. Ergo videtur, quod etiam post mediam noctem licet celebrare.

5. Præterea, In quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Concede nobis Domine quasumus, hæc frequentare mysteria. Sed maior erit frequentia, si etiam pluribus horis in die Sacerdos celebret. Ergo videtur, quod non debeat prohiberi Sacerdos plures celebrare in die.

Sed in contrarium est consuetudo, quam seruat Ecclesia secundum Canonum statuta.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) in celebratione huius mysterij attenditur representatio Dominicæ passionis, & participatio fructus eius. Et secundum vtrumq; oportet determinare tempus aptum celebrationis huius sacramenti. Quia enim fructus Dominicæ passionis quoties indiget, ut propter quotidianos defectus quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offeratur; Vnde & Dominus nos petere docet. Luc. 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quod exponit August. lib. de verbis Domini dicit: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quem admodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quoties, vt quoties dicitur profertur. Quia vero Dominica passio celebrata est a tertia hora vsq; ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc sacramentorecolitur passio Christi, secundum quod eius effectus ad fideles determinatur. Sed tempore passionis recolitur passio Christi secundum hoc quod in ipso capite nostro fuit perfecta. Quod factum est semel, quotidie autem fructum Dominicæ passionis carnis fideles percipiunt. Et ideo illa commemoratio fit semel in anno, hoc autem quotidie & propter fructum, & propter ingenitā memoriam.

Ad secundum dicendum, quod veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quedam & exemplum Dominicæ passionis, sicut dictum est. Et ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prore realiter gestata est, non celebratur consecratio huius sacramenti, ne tamen in Ecclesia etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibitio, corpus Christi consecratum in die precedenti reseruetur sumendum in illo die, non autem sanguis propter quod, & quia sanguis specialis est imago Dominicæ passionis, vt supra dictum est. Nec verum est, quod quidam dicunt, quod per immisionem particule corporis Christi in vinum, conuertatur in vinum in sanguine: hoc n. aliter fieri non potest quam per consecrationem factam sub debita forma verborum in die autem natiuitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi Natiuitatem. Quarum vna est æterna, qua quantum ad nos est occulta. Et ideo vna Missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem non est temporalis, sed spiritalis, qua, si Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, vt dicitur 2. Petri. 1. & propter hoc cantatur Missa in aurora, in cuius introitu dicitur: Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi Natiuitas temporalis & corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex vero Virginali carne in ortu: Et ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce, in cuius introitu dicitur: Puer natus est nobis. Licet & conuerso possit dici, quod Natiuitas æterna secundum se sit in plena luce, & ob hoc in Evangelio tertia Missa fit mentio de natiuitate æterna. Secundum autem natiuitatem corporalem, ad literam natus est de nocte, in signum, quod veniebat ad tenebras in similitudine Noë.

DISPUTATIO LXXX.

De tempore in quo tenentur Sacerdotes, vel eis licet, sacrificium Missæ offerre.

IN superioribus tractauimus omnia, que ad naturam vel institutionem huius sacrificij pertinent, quæ doctrinam veluti specularium huius materie continent: nunc superest tractare partem moralem & præcepta omnia, quæ ad hoc sacrificium spectant, & quæ maxima ex parte ad Sacerdotes pertinent, & ideo de illis prius dicemus: in fine vero addemus aliqua de præcepto audiendi Missam, quod commune est omnibus fidelibus. Optime vero doctrinam hæc moralem coniungitur cum declaratione circumstantiarum, & caeremoniarum huius sacrificij: nam hæc omnia in tantum necessaria sunt, in quantum aliqua lege obseruari præcipiuntur, quia igitur Diuus Thom. in art. 2. de circumstantia temporis disputauit, ideo in hac disputatione simul dicendum erit, an sit aliquod præceptum obligans ad sacrificandum aliquo tempore vel prohibens aliquo tempore sacrificare, ex quibus simul constabit, quibus temporibus sacrificare liceat.

SECTIO I.

Utrum teneantur Sacerdotes aliquando Missam dicere, seu sacrificium offerre.

Supponimus teneri Sacerdotes ad communicandum, saltem semel in anno tempore Paschæ, nam in hoc eadem est ratio ipsorum, quæ caeremoniarum fidelium. Vnde hæc obligatio non cadit in eos, quatenus Sacerdotes sunt, sed quatenus sunt fideles baptizati, & adulti: unde hanc obligationem explere possent non sacrificando, sed laicorum more communicando. Vterius ergo inquirimus, an ratione muneris Sacerdotalis teneantur Sacerdotes offerre aliquando hoc sacrificium. Et ratio dubitandi esse potest primo, quia nullum extat de hac re præceptum obligans singulos Sacerdotes: aut enim illud est Ecclesiasticum: & hoc nõ, quia nullum de hac re decretum reperitur scriptum: nec potest allegari consuetudo Ecclesiastica, quæ vim habeat legis: nam potius frequenter fit, ut multi Sacerdotes longo & diuturno tempore non sacrificent, qui non propterea censentur esse in statu peccati mortalis. Vel esset hoc præceptum diuinum positiuum, & hoc eisdem rationibus refelli potest: nam tale præceptum nec traditione habetur, ut argumentum factum satis probat, nec ex Scriptura sacra colligitur sufficienter: nam, si quæ sunt verba in scriptura, quæ indicent hoc præceptum, maxime illa: Nisi manducaueritis carnem filij hominis: & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; vel illa: Hoc facite in meam commemorationem: sed hæc testimonia, & habent varias ac probabiles interpretationes ab huiusmodi præcepto & obligatione alienas, ut in superioribus sæpius tactum est, & licet gratis admittamus, ibi contineri aliquod præceptum: non est necesse, ut illud obliget singulos Sacerdotes, sed in communi Ecclesiam, ad cuius prouidentiam spectat, curare, ut in ea sit vsus huius sacrificij: quæ cura ad pastores præcipue pertinet, non vero ad Sacerdotes singulos. Vel denique hæc obligatio sequitur, veluti ex natura rei, id est, ex munere Sacerdotali: & hæc etiam consecutio nulla sufficiente ratione ostendi potest, quia, licet Sacerdotibus ex vi sui muneris deuret potestas sacrificandi, tamen ex potestate non oritur necessitas: tum quia potestas ex se latius extenditur, quam

Sacerdotis id tenentur communicare, saltem semel in anno tempore Paschæ.

Vnde & in Missa nocturna dicitur Euangelium de corporali Christi natiuitate. Sicut etiam & in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expectanda, plures Missæ celebrantur in die, puta vna pro seipso, & alia pro iunio, vel pro mortuis.

Ad tertium dicendum, quod, (sicut dictum est superius) Christus voluit vltimo hoc sacrificium discipulis tradere, ut fortius eorum cordibus imprimeretur. Et ideo post conam in fine diei hoc sacramentum consecrauit, & discipulis suis tradidit. A nobis tamen celebratur hora Dominica passionis, scilicet, diebus festis in tertia, quando crucifixus est linguis Iudeorum, ut dicitur Marci 16. & quando Spiritus sanctus descendit super discipulos, vel diebus festis in sexta, quando crucifixus est in manibus militum, ut habetur Ioann. 19. vel diebus ieiuniorum in nona, quando voce magna clamans emisit spiritum, ut dicitur Matth. 27.

Potes tamen tradari, maxime quando sunt Ordines faciendi & præcipue in Sabbato sancto, tum propter prolixitatem officij, tum quia Ordines pertinent ad diem Dominicam, ut habetur in Decreto, dist. 75. cap. Quod à Patribus. Possunt tamen Missæ celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur de consec. dist. 1. cap. Necessè est, &c.

Ad quartum dicendum, quod regulatè Missæ debet celebrari in die, & non in nocte: quia ipse Christus est presens in hoc sacramento, qui dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari, quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Ita tamen quod principium diei accipitur non à media nocte, nec etiam ab ortu solis, id est, quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora: tunc enim quodammodo dicitur sol ortus, in quantum claritas radiorum eius apparet. Vnde & Marc. 16. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentum, orto iam sole: cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, ut dicitur Ioann. 20.

Sic enim hæc contrarietatem soluit. August. in libr. de conseruatione sensu Euang. Specialiter tamen in nocte natalis Domini Missæ celebratur propter hoc, quod Dominus in nocte natus est, ut dicitur de conseruatione, dist. 1. cap. Noctè. &c. Et similiter etiam in Sabbato sancto circa noctem principium, propter hoc, quod Dominus nocte surrexit, id est, cum adhuc tenebræ essent ante manifestum solis ortum.

Ad quintum dicendum, quod sicut habetur de consecratione, distinct. 1. ex Decreto Alexandri Pape, sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit, & valde salix est, qui vnam digne celebrare potest. Quoniam tamen pro defunctis vnam faciunt, alteram de die, si necesse sit. Qui vero pro peccatis aut adulationibus secularium, vna die presument plures celebrare Missas, non existimo euadere damnationem. Et extra, de celebratione Missæ dicit Innocentius Tertius, quod excepto die natiuitatis Dominice (nisi causa necessitatis sua deat) sufficit Sacerdoti, semel in die vnam Missam solummodo celebrare.

COMMENTARIUS.

Diuus Thom. in 1. artic. breuissimè explicuit substantiam sacrificij nouæ legis: in hoc vero & sequentibus articulis copiosissimè tractat de circumstantiis & caeremoniis eiusdem sacrificij. Quam materiam in sequentibus disputationibus nos etiam prosequemur: nam quoniam res non est difficilis, & à Diuo Thoma fuse tractatur, satique perspicue, nihil fere ad expositionem literæ addere oportebit, sed disputando de rebus ipsis, sententiam D. Thomæ simul explanabimus.

Fr. Suarez Tom. 3.

quam necessitas, tum etiam, quia hoc est veluti privilegium quoddam ipsius Sacerdotis, seu quasi dominium, vel ius quoddam ex vi autem privilegij homo cogitur vti illo, nec dominium seu ius, in vel ad rem, per se inducit necessitatem vtendi re propria, sed potest aliquis cedere iuri suo. Tandem, etiam datur Sacerdoti potestas remittendi peccata, & tamen nunquam tenetur vti illa, etiam si alius iurisdictionem etiam recipiat, dummodo Pastoris officium non suscipiat. Et similiter per gradum Magistrerij datur alicui facultas explicandi Scripturam, quod tamen facere non tenetur.

*Quorundam placitum.*

Propter hoc multi & graues Theologi censent, nullum esse praecipuum obligans Sacerdotes sub peccato mortali ad sacrificandum aliquando. Itaque quamuis Sacerdos nunquam in vita sacrum faciat, dummodo in Paschate communicet, per se loquendo, non peccabit mortaliter. Ita tenet Alexan. Alenf. 4. part. quaest. 51. memb. 2. Bonauen. in 4. dist. 12. part. 2. art. 2. quaest. 2. Gabr. lect. 87. in Cano. Richard. in 4. dist. 13. art. 2. quaest. 2. & ibi Palacius disp. 2. & Ledef. 1. par. 4. quaest. 23. art. 10. Victoria in Summ. num. 94. & idem tenuit Caiet. supra quaest. 82. art. 12. quamuis eius Commentarius iussu Pij quinti expunctus fuerit in Romana impressione. Addunt vero nonnulli ex dictis authoribus, nonnullum peccatum esse, saltem veniale, hoc facere. Primò, quia videtur esse quaedam spiritualis prodigalitas longo tempore se priuare vsu tam perfectae potestatis, & fructu sacrificij. Secundò, quia cum potentia sit propter actum, inordinatum est, suscipere potestatem consecrandi: & postea illa non vti, sed quasi otiosam habere. Tertio, quia praeter charitatem esse videtur priuare Ecclesiam magno illo fructu, quam ex hoc sacrificio participat, sicut, qui recipere à Deo gratiam gratis datam, male faceret, nunquam illa vtendo, & praeter charitatem proximorum, in quorum vtilitatem datur: haec est huius potestas consecrandi est, veluti, quaedam gratia gratis data, propter Ecclesiae vtilitatem. Denique, quia Sacerdos ex vi sui muneris accipit onus intercedendi pro populo apud Deum, & offerendi dona, & sacrificia pro peccatis: peccat ergo saltem venialiter, nunquam exequendo munus & officium suum; nam officium propter ministeriũ & opus datur, & inordinate retinetur, si executioni non mandatur.

*D Thomae  
Calisiorum  
opinio.  
Durand  
Soto.  
Paludan.  
Maior.  
Ansonm.  
Syluest.  
Angel.  
Nauar.  
Per. Soto.*

Quoniam vero haec posteriores rationes, si quicumque valent, plus probant, quam leuem obligationem aut venialem culpam, ideo alij auctores censent, quemlibet Sacerdotem teneri rigoroso praecipuo, & sub peccato mortali, ad sacrificandũ aliquando, & aliquoties, non solum in vita, sed etiam in anno, nisi legitimo aliquo impedimento excusetur. Ita sentit D. Thom. supra q. 22. art. 10. & clarius in 3. d. 13. q. 1. art. 2. quaest. unc. 1. ad 2. Durand. ibi. q. 2. Soto, q. 1. art. 10. Palud. d. 11. q. 2. Maior. q. 5. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 16. §. 12. Syluest. verb. Miss. l. qu. 7. Angel. num. 44. Nauarrus, cap. 25. nu. 88. & Petrus Soto, quamuis subdubians lect. 13. de Euchar. circa finem, & idem tenet Gloss. cum Iuris peritis in cap. Dolentes. de celebrat. Miss. Fauetque huic sententiae decretum illud: nam inter alia peccata quorundam Sacerdotum, quae ibi recensentur, vnum est, quod vix quater in anno celebrabant, & poena illius suspensionis imponitur, non propter hoc delictum solum, sed cum aliis, quae ibi referuntur. Secundò fauet huic sententiae Conc. Trid. sess. 22. c. 1. dicens: Christum illis verbis: Hoc facite in mea commemoracionem, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus vt offerrent, praecipisse, vti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit & Cano. 2. anathemate ferit negantes, Christum illis verbis in Ritibus Apostolos Sacerdotes, & ordinale vti ipsi, alijque Sacerdotes, offerrent corpus & sanguinem ipsius. Rarus sess. 23. ca. 14. de reformatione praecipit Episcopis: vt curent, quod Sacerdotes, saltem diebus

Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Quibus verbis non videtur Conc. nouam obligationem imponere Sacerdotibus, sed solum Episcopos monere, vt curent, quod Sacerdotes obligationem suam impleant. Et quamquam fortasse, non totum id quod Conc. significat, sit sacerdotibus in praecipuo, tamen etiam videtur manifestum, non id totum ad solum consilium pertinere: sed quia non certo constat, quoties, vel quibus diebus haec obligatio vrgeat, elegit Conc. id, quod in dubio sufficit ad obligationem implendam, quamuis fortasse plus aliquid moneat, quam sub praecipua obligationem cadat. Praeterea, potest in huius sententiae fauorem ponderari auctoritas Pij quinti: cum enim Caiet. in hoc Commentario docuisset transgressionem huius obligationis tantum esse peccatum veniale, illa doctrina, eius auctoritate (vt creditur) ab hoc Commentario expulsa est: satis ergo sentire significauit, esse non solum minus probabilem, verum etiam non esse dignam, quae passim circumferatur. Praeterea, referunt D. Tho. dicto ar. 10. ad primum. Sed contra, & alij Scholastici, sententiam Ambrosij, dicentis: Graue est, quod ad mensam tuam mundo corde & manibus innocens non venimus: sed grauius est, si dum peccata metumus, & sacrificium non reddamus. Quae sententia dupliciter potest intelligi; primum de peccato veniali: & ita sentis erit, celebrare cum conscientia veniali peccatorum esse nonnullam irreuerentiam, & aliquid fortasse peccatum, & hoc appellari (graue) id est, turpe & indecens (non est enim peccatum mortale) vnde cum addit: grauius esse de hac causa omittere, significat, hoc esse posse mortale peccatum, seu esse absolutam obligationem interdum sacrificandi. Alius sensus est, vt intelligatur de peccato mortali, & hoc sensu esset magis rigorosa sententia: nam reuera videtur grauius peccatum, celebrare in mortali, quam omittere actum, tempore, quod obligat: quia ex genere, peccatum commissionis est grauius, quam omissionis, & in particulari videtur illa maior irreuerentia sacramenti. Ratione probatur haec opinio: primo defendendo, hoc esse praecipuum diuini officij, contentum illis verbis Christi: (Hoc facite) nam quod in illis continetur praecipuum sacrificandi, Concil. Trident. declarauit. Quod vero illud praecipuum, non ad communitatem tantum, sed ad singulos Sacerdotes pertineat, magis etiam consensaneum est, & verbis Christi, & verbis Concilij, & materiae praecipui. Primum patet, quia Christus equè ad omnes Apostolos & ad singulos dixit (Hoc facite). Secundum patet, quia Concil. declarauit, Christum locutum fuisse ad Apostolos vt Sacerdotes, & in ipsis ad omnes futuros Sacerdotes, & non tantum ad Pastores Ecclesiae, vel in communi ad Ecclesiam: sentit ergo praecipuum singulos obligasse. Tertium declarauit opime D. Thom. dict. art. 10. ad 1. ex differentia inter sacramenta & sacrificium: nam facta sacramenta ordinantur ad vsum fidelium: sacrificium vero, vt offeratur Deo, & ideo ad facta sacramenta ministeranda, solum teneri eos, qui curam super fideles suscipiunt, etiam si potestatem habeant illam ministrandi: ad sacrificandum autem teneri omnes ratione Ordinis suscepti ex praecipuo Christi, quia talis actus non requirit curam animarum, nec iurisdictionem super fideles, sed per se ad omnes pertinet. Secundum modo potest fundari hoc praecipuum in sola natura rei: nam perpetua omisio talis actus in eo, qui habet tale munus ex proprio obiecto, & non tantum propter rationes extrinsecas est mala, & rationi dissona, vt fatentur multi ex authoribus supra citatis, & rationes supra factae declarant, & alioqui materia talis obligationis est grauis: ergo ex genere suo illa omisio est peccatum mortale.

Haec res dubia quidem & incerta mihi videtur: *Adrian*  
quia

res hac du-  
bia, & in-  
certa.

quia præceptum, præsertim sub peccato mortali, as-  
serendum non est sine fundamento; quod moraliter  
conuincat: hic autem nullum apparet huiusmodi,  
propter quod non videtur posse negari, quin prior  
opinio probabilis sit ita ut, qui se illi præcepto confor-  
marit, peccato mortali excusari possit: vnde etiam  
de viris sanctis interdum legitur ab huiusmodi sacri-  
ficatione abstinuisse, vt Durand. etiam & alij re-  
ferunt, quamquam hoc non debet in exemplum ad-  
dici: nam multa interdum operantur Sancti ex spe-  
ciali Spiritus sancti motione, præter communem  
legem, quæ nobis imitanda non sunt. Quocirca pos-  
terior opinio, & magis pia est, & securior, & in praxi  
consulenda, quia reuera, & est magis consentanea ra-  
tioni, & præterea vix potest sine magno scandalo  
contrarium fieri, & vt minimum, existimatur com-  
muniter, huiusmodi omissionem diuturnam sacri-  
ficii, esse signum prauæ conscientie & perditæ vitæ:  
sunt ergo, quo ad huiusmodi, Sacerdotes monendi, vt  
frequenter celebrent, & suadendum, contrarium  
non esse in conscientia securum.

Posterior o-  
pinio magis  
pia & securior

Anton.

Sed quares, quoties teneantur in anno sacrificare  
ad vitandam culpam. Syluest. verbo, Missa. 1. q. 7.  
& Antonin. 3. part. tit. 13. cap. 16. §. 12. referunt, quod  
dam Iuris peritos asseruisse, teneri Sacerdotes, per se  
loquendo, ad celebrandum quotidie. Sed hoc non  
habet fundamentum, vt litam quæstione sequente  
dicemus. D. Tho. igitur ait, teneri ad celebrandum  
in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in qui-  
bus fideles communicare consueverunt. Idem fere  
Syluest. & Soto, qui expressius addit, esse peccatum  
mortale sacrificium his diebus omittere sine causa.  
Sed hoc etiam videtur in his rigidum, & neque posse  
sufficenter probari, & ideo Nauar. supra dicit, satis-  
facere Sacerdotem huic obligationi, ter, vel quater  
in anno sacrificando. Quod videtur fieri probabile  
ex dict. cap. Dolentes, & quia nullo iure, vel ratione  
sufficiente potest hoc ius seu præceptum, strictius  
declarari: imo (vt verum fatear) neque hoc ipsum  
potest sufficienter fundari per intrinsecam principia:  
& ideo censeo, moraliter loquendo, consideranda  
esse principia extrinseca, qualia sunt aliorum scan-  
dalo, proprium spirituale detrimentum, aut peri-  
culum liberi peccandi omitendo sacrificium, vel  
(quod grauius est) quod propterea omittatur, vt  
peccandi licentia non impediatur, & similia, & his o-  
mnibus pensatis, prudentis iudicio committendum  
est tempus & modus huius obligationis: si autem  
hæ rationes extrinseca non intercedant, vix, credo,  
acciderit casus moralis, in quo Sacerdos aliquoties in  
anno non sacrificet, quod hec raro faciet (vt Nauar.  
dixit) non peccabit mortaliter, & si bona intentione  
id faciat, potest etiam a veniali excusari. Neq; aliquid  
certius, magisue determinatum inuenio, quod in  
hac quæstione dici possit.

D Thom.  
sententia.

Syluest.  
Soto.

SECTIO II.

Utrum Sacerdos possit, vel debeat singulis diebus celebrare.

Hæreticorum  
quorundam  
sententia  
exploditur.

Hæretici huius temporis non probant quoti-  
diana singulorum Sacerdotum sacrificia: quia  
necesse est, vt maiori ex parte, priuatim fiant: ipsi  
vero Missas priuatas abominantur, & ideo solum  
vnam communem cœnam Dominicam volunt quoti-  
dianam fieri in singulis populis, vel Parochijs. Sed hæc  
sententia hæretica est, contra Ecclesiæ vsum, & tradi-  
tionem, & fundamentis hæreticis nititur, nimirum,  
quod non liceat Missam priuatam dicere, in qua  
fideles non communicant, quod in superioribus  
partim refutatum est, & in sequentibus aliquid ad-  
demus. Item, quod hoc mysterium semper sit per-  
agendum cum omnibus illis circumstantijs acciden-  
tarijs, quibus Cœna Dominica peragitur, quod

quam sit absurdum, sæpe in superioribus est osten-  
sum. Catholici ergo quidam (vt supra dicebam)  
per contrarium extremum asseruerunt, debere Sa-  
cerdotes quotidie Missam celebrare. Alij vero quam-  
uis ad hoc non obligent singulos ratione Ordinis,  
obligent tamen Parochos ratione officij. Sed ob-  
seruandum est, aliud esse loqui de singulis Sacerdo-  
tibus, aliud de tota Ecclesia, aut de singulis Eccle-  
sijs, vel Cathedralibus, vel Parochialibus, vel Con-  
uentualibus. In quibus omnibus considerari potest  
quid ex solo iure diuino necessarium sit; quid vero  
Ecclesiastico.

Catholici  
quorundam  
opinio  
Aliorum et-  
iam Catho-  
licorum pla-  
cium.

Dico ergo primo: Stando in solo iure diuino, nec  
singulis Sacerdotibus, nec singulis Ecclesijs, nec toti  
Ecclesiæ præceptum est, neque etiam prohibitum,  
quotidie sacrificare. In hoc conueniunt omnes Theo-  
logi, quia nullibi extat talis determinatio temporis  
iure diuino facta. Item, in die Parasceus omnino o-  
mittitur hoc sacrificium in Ecclesia, & idem fiebat  
olim in Sabbatho sancto, & postea Ecclesia, si ratio-  
nabilis causa occurreret, idem statuere in alio, vel alijs  
diebus anni: non est ergo contraria temporis de-  
terminatio iure diuino facta. Præterea non fuit ne-  
cessaria, quia ita sunt res Ecclesiæ ordinatae, vt, secul-  
sa prohibitione ecclesiæ specialis, non possit in ea quo-  
tidianum sacrificium deicere, ad quod etiam Päs-  
torum Ecclesiæ cura multum deseruit, & ad eam ip-  
si ex officio tenentur, quia est valde necessarium ad  
spirituale bonum fidelium, tam viuæ vitam, quam de-  
functorum, & quia ad debitum diuinum cultum, mor-  
taliter loquendo, necessarium est. Quod vero hic quo-  
tidianus vñs sacrificij non sit etiam prohibitus iure  
diuino, eodem fundamento constat, & ex vñs Eccle-  
siæ, nam si in aliquo die facta est prohibitio, illa per  
Ecclesiam introducta est.

i. Conclusio

Dico secundo: In singulis Ecclesijs, Cathedralibus, & Con-  
uentualibus, debet quotidie sacrificium Missæ offerri, si conueniens sit, seu mediocri-  
s Sacerdotum numerus, atque ita fiet, vt in vni-  
uersa Ecclesia, non solum vnum, vel aliud, sed quam  
plurima sacrificia, quotidie offerantur. Ita docent,  
communiter Doctores, & insinuat in capite C. um  
creatura. de celebratione Missæ. Patet etiam ex Eccle-  
siæ consuetudine, quæ vim legis habet: cuius signum  
etiam est, quia si absque sufficiente causa omittatur,  
non fiet sine graui scandalo fidelium. Hæc ergo obli-  
gatio per se pertinet ad Rectores Ecclesiarum: nam,  
licet ipsi non teneantur per se quotidie celebrare: tenentur  
tamen curare, vt non omnino desit in sua Ec-  
clesia sacrificium: hoc est enim vnum ex muneribus,  
propter quod a fidelibus aluntur. Addit tamen Vi-  
ctoria in Sum. num. 95. si interdum hoc prætermittatur,  
non esse peccatum mortale. Sed hæc licentia  
non est extendenda: nam res hæc multum pertinet  
ad commune bonum fidelium, & ideo talis obli-  
gatio grauis est, vt bene significauit Soto in 4. dist. 13.  
quæst. 2. art. 1. Quapropter per se loquendo, non po-  
terit prætermitti sine graui culpa, nisi fortasse ob vr-  
gentem causam & rationabilem: hæc enim interce-  
dere aliquando potest, sicut in alijs obligationibus  
positiuis. Addunt vero aliqui in parochialibus Ec-  
clesijs, si sit sufficiens Sacerdotum numerus, dicen-  
das esse duas Missas, vnam pro viujs, & aliam pro de-  
functis, ex dicto capite, C. um creatura. Veruntamen  
ex Soto, & Victoria notantur, non est hæc obligatio  
augenda, & multiplicanda, quia nullum extat suffi-  
ciens ius, ex quo colligatur: nam in illo capite, C. um  
creatura. solum dicitur, propter Missam defuncto-  
rum non esse omittendam cœnuentalem Missam de  
feria: neque è contrario, sed vtamque, si commodè  
fieri possit, dicendum esse, non tamen imponit ab-  
solutam obligationem quotidie sacrificandi pro de-  
functis.

2. Conclusio

Victoria.

Soto.

Quæstio  
placitum.

Dico tertio: Singuli Sacerdotes, nec iure diuino, nec  
Ecclesiastico, tenentur quotidie celebrare, per

3. Conclusio

feloquendo. Hoc etiam est per se manifestum, tum quia nullibi extat tale ius, tum, quia multi Sacerdotes pij & timorati, interdum aliquo, vel aliquibus diebus sacrificium intermittunt: imo aliqui etiam hoc consulunt, ob maiorem sacrificij reuerentiam. Quin potius, non solum non ex vi Ordinis, verum etiam neque ex vi Parochialis beneficij, est hoc necessarium: tum, quia satisfaciet Parochus suæ obligationi, si curet in sua Parochia per alium sacrificium fieri, tum etiam, quia, si solus ipse sit, non est cogendus omnino quotidie sacrificare, quia esset nimis rigida & onerosa obligatio: quamuis teneatur frequenter id præstare, imo & regulariter non omittere absque aliqua causa.

*4 Conclusio, qua certa est Et Theologorum communis.*

*S. Andream.*

*Hippolyt. Martyr.*

*August.*

*Greg. Mag.*

*Miraculum quoddam narratur.*

*Chrysost.*

*Fideles plurimum indigent fructu huius sacrificij.*

Dico quarto: per se loquendo, & seclusa speciali prohibitione Ecclesiæ, non solum est licitum Sacerdoti, quotidie sacrificare, verum etiam ex se melius est, magisque consulendum. Est conclusio certa & communis Theologorum. Et probatur primo ex consuetudine Ecclesiæ, quam & nunc experimur, & in antiquissimis Patribus, & historijs legimus. Andreas enim Apostolus, vt supra retulimus, de se aiebat Tyrano: Quotidie immolo Deo agnum immaculatam. Hippolytus etiã Martyr orat. de consummatione mundi, sic introducit Christi iudicem, ad Sacerdotes Euangelicos loquentem: Venite Pontifices, qui pro me mihi sacrificium die nocteque obtulistis, ac pretiosum corpus & sanguinem meum quotidie immolastis, & August. epi. 23. Nonne (inquit) semel immolatus est Christus in seipso: & tamen in sacramento, non solum per omnes Pasche solemnitates, sed omni die populis immolatur? Cyprian. epi. 54. Vt Sacerdotes (inquit) qui sacrificium Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus. Greg. etiam homil. 37. in Euang. memorat sanctum Casium Narniensem Episcopum: cui mos erat, quotidianas Deo hostias offerre, ita, vt pene nullus dies vitæ eius, abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Quam consuetudinẽ, Deum speciali reuelatione approbasse inferius narrat, dicens: Nocte quadã cuidam eius Presbytero Dãm per visum assistisse, atque dixisse: Vade, & dic Epõ: Age, q̄ agis, operare, q̄ operaris, non cesseret pes tuus, non cesseret manus tua, natali Apostolorum venies ad nrẽ, & recipies mercedem tuã. Et ibidem narrat aliud miraculũ, q̄ cuidam mulieri contigit, quæ singulis hebdomadibus sacrificiũ pro marito offerri faciebat, eiusq; a captiuitate liberationem miraculose obtinuit. Deniq; quæ adduximus supra ex Patribus de quotidiana communione a fortiori procedunt de quotidiano sacrificio. De quo videri potest Chrysost. hom. super ad Ephes. Secundo argumentor ratione, quia quotidie sacrificare, nõ est ex natura sua malũ, sed bonum, neq; est aliquo iure positiuo prohibitũ: vbi est enim tale ius? ergo est per se licitũ. Maior pater: nam id cedit in cultum Dei, quẽ illi perpetuo debemus, & est consentaneũ dignitati huius sacrificij, q̄ propterea iuge appellatur, Daniel. 12. Est etiam valde vtile fidelibus, qui plurimum indigent fructu huius sacrificij: ergo hoc per se honestum & licitũ. Quin potius ratio facta concludit, quod in vltima parte assertionis dicebamus, quia licet laicis, regulariter non sit consulendum, vt quotidie communicent, Sacerdotibus tamen consulendum est, vt quotidie sacrificent: est enim id per se loquendo, melius: Nam munus sacrificandi, non est priuatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ, & ideo dum modo indignus non sit, & mortalem ac humanam diligentiam adhibeat, quamuis sit imperfectus, non debet ab hoc sacro munere cessare. Accedit etiam, quia cum sit specialiter ad hoc munus consecratus, & habet proprium ac peculiare ius ad offerendum, & habet praprium speciale ditinum auxilium, vt sancte coniciat. Per hoc tamen non intendimus negare, quo minus ex reuerentia & timore, aliquo die interdum hoc munus inter-

mittere, possit esse, & bonum, & vtile, & alicui fortasse consulendum, iuxta diuersas personarum conditiones, & varias Spiritus sancti diuisiones gratiarum.

Superest vero explicandum, an in aliquibus anni diebus prohibitum sit per Ecclesiam, Sacerdotem quidem sacrificare. Solet autem de tribus dubitari: nam in reliquis omnibus certum est, nullam esse prohibitionem factam. Primus dies est feria quinta hebdomadæ sanctæ. Sicut enim, qui existimant eo die non licere singulis Sacerdotibus Missam dicere, sed solum esse in singulis Ecclesijs Missam solemnem ab Ecclesiæ Rectore, vel, qui eius locum teneat, dicendam, in qua alij sacerdotes cum laicis communicent. Ita tenet Marcel. Franco. in lib. de Horis canonicis. cap. 30. qui pro hac sententia, neq; alium authorem refert, nec expressam legem seu prohibitionem Ecclesiæ. Sola ergo Ecclesiæ consuetudine nititur, quam ex eo colligit, quod iuxta ordinem Romanum antiquum, omnes Presbyteri & Diaconi vniuersalique Ecclesiæ de manu sui Pastoris communicant solemni Missa, vt patet ex ordine Romano, cap. de Coena Domini. & ex Aleuino, libro de diuinis officijs, cap. de Coena Domini. Fuit autem hæc consuetudo conuenienter introducta primo, propter maiorem, quem Ecclesiæ, illo præsertim die, repræsentare incipit. Secundo, vt officium illius die sit solemnis & celebris. Tertio & maxime, propter repræsentationem Christi Domini, qui eo die primam Missam celebravit, & Apostolos communicauit: in huius enim facti memoriam solum primarius Sacerdos celebrat, & reliquis sacramentum distribuit. Hæc tamen fundamenta debilia valde sunt ad affirmandum præceptum seu prohibitionem, sine expresso iure, & contra communem sententiam. Quæ mihi quidem certa videtur. Nimirum per se loquendo (id est, secluso scandalo, si alicubi fortasse sit, vel propter pusillum ignorantiam, vel propter aliquam consuetudinem) licitum esse cuius Sacerdoti, eo die sacrificare, quamuis prudens consilium sit secreto & absque concursu populi, propter aliquas ex congruentijs adductas, & alias, quas statim explicabo, id facere. Ita tenet Soto, dist. 13. quæst. 2. art. 2. & Nauar. in Sum. cap. 51. num. 88. Angelus in floribus, quæst. 8. de valore Missæ, articulo vltimo, alij vero antiquiores, hoc in dubium non reuocauerunt. Et probatur, quia circa hoc nulla est scripta lex expresse prohibens, vt constat: neque etiam est consuetudo, quæ vim legis habeat: quia licet multi Sacerdotes eo die non sacrificent, tamen alij plures docti, pij, ac timorati sacrificant, sine vilo scrupulo: vt autem consuetudo obliget, oportet, vt sit omnium, & non tantum aliquorum. Rursus, qui omittunt, non id faciunt, quia existimant oppositum esse malum, sed vel ex deuotione quadam, vel certe obnium illius diei occupationem, & alia impedimentata. Existimo enim, hoc cepisse introduci, quoniam illo die ministri Ecclesiæ & templi pia occupantur, vel propter monumenti fabricam, vel propter omnia præparanda, quæ ad illius temporis officium sunt necessaria; vel quia magna pars Christiani populi eo die communicat, & necessarium est, Sacerdotes in audiendis confessionibus occupari: verum ille etiam est, hoc introductum esse propter solemnitatem, vel repræsentationem, vt dicebamus: id tamen potius factum est consilio ac voluntate Prælatorum, quam rigurosa prohibitione: nulla est ergo consuetudo, quæ talem prohibitionem sufficienter indicet. Tandem, nullum est peculiare nylterium, quod eo die ab Ecclesiæ celebratur, & repræsentatur per cessationem sacrificiorum singulorum Sacerdotum, sicut fit in feria sexta: nam institutio ipsius myleri, & Domnica coena sufficienter repræsentatur in Missa, præsertim solemni, in qua sacramentum populo dispensatur, neque impeditur hæc repræsentatio: necesse

nec fere minuitur, propterea, quod alij Sacerdotes facerent, & non communicent in Missa solemni: praesertim, quia Apostoli, non vt Sacerdotes, sed vt laici, communicarunt: nondum enim erant Sacerdotes, quando communicarunt: prius enim Christus illis sacramentum dedit, & postea dixit: Hoc facite, nulla ergo est sufficiens ratio, ad hanc prohibitionem faciendam, nedum vt credamus, consuetudine fuisse introductam.

Innocent. I.

Thomas.

Senten. auct. h. v.

Innocent.

Amalar.

Duran.

Org. Mag. Pamelius.

Senten. ob. v. v. v.

Secundus dies est Parasceues, seu feria sexta maioris hebdomada. Quo die certum est, Ecclesiastico iure esse prohibitum Sacerdotibus, offerre sacrificiū, quod ius Innocentius I. declarauit, epist. i. ad Decentium, capite 4. & habetur in cap. Sabbatho. de consecratione, dist. 3. vbi aequaliter sermo est de Sabbatho sancto, & de feria sexta: cum tamen non sit de vtraque die eadem certitudo, vt statim videbimus, nihilominus tamen de feria sexta authores omnes sine controersia ita docent: & Decretum illud vim suam retinet, & omnes, qui scribunt de diuinis officijs, referunt hanc esse antiquissimam traditionem, qua non solum priuata sacrificia, sed etiam solemne & publicum omitti consuevit, vt enim in superioribus diximus, officium illius diei non est sacrificium. Denique Dignus Thomas hic ad 2. rationem affert huius prohibitionis, scilicet, quia illa die passio Domini ab Ecclesia recolitur, prout realiter gesta est, & ideo non representatur mystice per consecrationem huius sacramenti. Alias congruentias adducit Durandus in Rationali, libr. 6. cap. 77. Rogabis obiter, an eo die liceat communicare laicorum more. Marcellus supra dicit, esse prohibitum, nisi tantum ob necessitatem viatici. Fundatur in verbis Innocent. dicto capite, Sabbatho: ait enim eo die sacramenta penitus non celebrari. Item, quia in officio illius diei, solum praecipitur, seruari sacramentū pro infirmis. Sed quia alij authores nihil de hac prohibitionem dicunt, & praedictis fundamentis non satis probatur, existimo probabilis, licitum esse, per se loquendo, eo die communicare: nam, cum hoc sit per se bonum, & prohibitio non probetur, non est, cur tanquam malum damnetur. Etenim Innocentius eo capite manifeste loquitur solum de sacrificio: nam celebrare sacramenta, non est proprie ministrare Eucharistiam, sed consecrere. Quod autem iubeatur seruari Eucharistia pro infirmis (etiam si id gratis demus) non ideo est, quia illis solis licite possit dispensari: sed quia illa fuit causa maxime necessaria seruandi sacramentum. Addo tamen ex Amalario, lib. 1. de Ecclesiast. offic. capite 11. non solum pro infirmis, sed etiam, pro his omnibus, qui sequente die communicare volent, debet sacramentum in die Coenae Domini seruari. Durandus vero lib. 6. c. 75. dicit, seruari pro infirmis & religiosis (fortasse non tantum statu, sed actu & pierate) qui communicare voluerint: vnde in ordine Romano antiquo in officio diei Parasceues, in fine eius dicitur (& communicent cum silentio.) Et Gregorius Magnus in lib. sacramentorum (vt Pamelius refert in liturgijs Latinis) dicit (communicet Sacerdos & omnis plebs.) Olim ergo non solum non erat prohibitio, verū potius opposita consuetudo. Dices, per non vsum introductā esse prohibitionem. Respondeo, falsum id esse, tum quia sola negatio actus inualidissima est ad introducendam legem: tum etiam, quia ille non vsum, solum introductus est, quia omnes fere communicant feria quinta, & quotidiana communio iam abijt in consuetudinem, ideoq; nullus iam communicat feria sexta. Ad quod etiam confert, quod regulariter non potest commode fieri.

Tertius dies est Sabbathi sancti, de quo maior est dubitatio, quia in dicto capitulo, Sabbatho eisdem prorsus verbis dicitur, in illo die sacramenta penitus non celebrari, sicut in feria sexta. Propter quod Nauarrus capite vigesimo quinto, numero

88. & Marcellus, supra simpliciter docent, esse peccatum mortale: in illo Sabbatho aliam Missam dicere, praeter vnam publicam, & solemnem in singulis Ecclesijs: quia illud antiquius, nec contrario iure abrogatum est: neque etiam consuetudine, nisi solum quoad publicum officium: ergo quoad reliqua, vim suam retinet: nam à iure antiquo non licet recedere, nisi quatenus, vel alio iure, vel consuetudine abrogatum est. Et confirmatur: nam in Missa illius diei nullus ponitur introitus pro Missis priuatis: ergo signum est, supponi, non esse dicendas: neque enim sine Introitu dicenda sunt. Vnde in vigilia Pentecostes, quae solemne officium habet simile officio Sabbathi sancti, assignatur peculiaris Introitus pro Missis priuatis, quia eo die dicenda sunt: ergo è contrario, quia in Sabbatho sancto non sunt dicenda, ideo non assignatur. Nihilominus alij existimant, non esse peccatum mortale, eo die priuatim celebrare praesertim ab ea hora, in qua iam incipit, vel incipere potest solemne & paschale officium, censent enim, hoc ipso, quod antiqua prohibitio abrogata est, quoad solemne officium, cessasse etiam pro eodem tempore, quoad omnia sacrificia, & ideo per se licere, secluso scandalo. Ita opinatur Soto, dist. 13. quaest. 2. artic. 2. quem alij moderni scriptores, & multi viri docti ac timorati sequuntur, etiam in praxi & vsu: quia non est maior ratio de Missa publica, quam de priuata, vel quia iam consuetudo ad vtramq; extenditur, vel certe, quia ex vi prioris consuetudinis cessauit ratio illius prohibitionis: non tantum in particulari, sed etiam in generali: quando autem hoc modo cessat finis & ratio legis, cessat etiam obligatio, vt ex materia de legibus constat: assumptum declarat: nam olim per totum diem Sabbathi Ecclesia representabat requiem Christi in sepulchro, & solitudinem suam, & erat quasi in mœrore posita, Christi resurrectionem expectans: & ideo toto illo die, vsque ad mediam noctem, & initium Dominicæ diei, ab oblatione sacrificij cessabat: postea vero anticipauit tempus illud, & ab illa hora, in qua officium Sabbathi sancti celebrat, incipit iam eum gaudio & alacritate recolere Christi resurrectionem, ideoque iam ab illa hora cessauit etiam ratio, ob quam poterat sacrificium prohiberi: reuocata ergo in priori consuetudine, censetur etiam geuocata generaliter prohibitio sacrificandi. Est ergo haec opinio satis probabilis, & practice securā, non tamen consulerem vsum illius, nisi in aliquo casu cum causa vel occasione rationabili, & scandalum omnino diligenter vitando.

Opinio satis probabilis & practice securā.

SECTIO III.

An, & quo modo liceat eodem die plures Missas facere.

PRimo certum est, communi ac ordinario iure non licere Sacerdotibus, nisi tantum semel in die sacrificare: hoc autem ius non est naturale, etiam supposita institutione sacrificij, quia non sequitur intrinsece ex illa: neque est diuinū, quia neq; in Scriptura habetur, neq; traditione constat, esse à Christo latum, sicut de vsu communionis supra diximus: nam hic est eadē & maior ratio: sed est praecipitū Ecclesiasticum, q̄ primum latū est ab Alexan. secundo in capite. Sufficit, de consecratione, d. 1. Sufficit Sacerdoti, (inquit) vnā Missam in die vnā celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit, nō modica res est, vnā Missam facere, & valde felix est, qui vnā digne celebrare potest. Quod vero verbū illud (sufficit) in vi praecipiti intelligendū sit, ita vt hoc solum liceat, verba sequētia declarant: Qui vero pro pecunijs, aut adulationibus seculariū, vnā die praestimat plures facere Missas, nō æstimō euadere damnationem. Hoc autem praecipitum in eodem sensu confirmarunt Innocentius tertius in Capitulo, Constitutijs. & Honorius tertius in Capitulo. De referentia, Innocent. de Ce-

Alexan. 2. Pap. 11.

Innocent. de Ce-

de Celeb. Miss. vbi Honorius addit, hoc esse intelligendum de quocunq; Sacerdote, quacunq; dignitate praefulgeat. Denique Ecclesiastica consuetudo praecipuum hoc satis confirmavit, ex quibus decretis duplex ratio huius praeccepti sumitur. Vna est mystica, scilicet, ad representandam sufficientiam vnicuique sacrificij cruenti Christi Domini. Secunda est moralis, nimirum, quia, supposita hominum fragilitate, & cura ac solitudine humanarum rerum, vix possunt homines digne se ad vnum sacrificium praeparare, & ideo, vt maiori cum reuerentia sacrificent, merito eius eis praescribitur, vt semel tantum vno die sacrificent, vt etiam hic D. Thom. ad 5. docuit, & in hoc conueniunt omnes Doctores.

*Exceptionis aliqua cuiusda praeccepti Telephori*  
 Secundo notandae sunt aliqua exceptiones huius praeccepti. Prima habetur in dicto capitulo; Consultuisti, que est de die Natiuitatis, in quo licitum est Sacerdotibus, tres Missas dicere ex decreto Telephori Papae, in epistola decretali cap. 2. nocte sancta, de Consecr. dist. 1. vt citat Glossa in dicto cap. Consultuisti; tamen ibi Telephorus nihil dicit de numero Missarum, sed tantum dicit, ea nocte licere Missam facere ante diem: & hymnum, Gloria in excelsis, decantare: quia illum eadem nocte Angeli cecinerunt. Neque de hoc numero scriptum aliquod decretum inuenio: imo neque Innocentius illum ponit, sed absolute dicit, excepto Natiuitatis die. Vnde videtur id supponere ex consuetudine Ecclesiae, cuius rei causas & mysteria explicat Diuus Thomas hic in solut. ad 2. scilicet, vt per tres Missas triplex Christi generatio indicetur, scilicet, aeterna, ac diuina, temporalis & humana; & spiritalis, qua oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris. Glossa vero in dict. c. Consultuisti, dicit, per has tres Missas significari tres status hominum, ante legem, sub lege, & post legem, seu in lege gratiae. Hic vero occurrebat dubium de hora, in qua licitum est, has tres Missas dicere, sed hoc tractabitur commodius sequent.

*a. Exceptio.*  
 Secunda exceptio fit in dict. c. Sufficit, his verbis: Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit: Ex quo colligit Glossa in dict. c. Consultuisti, Si quis prius de die celebravit, & postea contingat aliquem mori, posse etiam pro illo celebrare: imo inferius addit, verbum (Sufficit) non continere expressam prohibitionem, & ideo simpliciter posse celebrari vnam Missam de die, & aliam pro defunctis. Sed de priori casu particulari dicemus statim: secundum autem generale dictum, in quo significatur, hoc esse absolute licitum, absq; alia causa, est contra omnes Doctores, & plane falsum, & contra mentem Alexandri: qui, vt notauimus, satis explicuit hoc esse praecipuum, comminando damnationem transgressoribus, & addendo illa verba (si necesse fuerit) satis etiam declarauit, hoc simpliciter non licere, sed in casu necessitatis: quanta vero debeat esse haec necessitas, declarabitur statim.

*3. Exceptio.*  
 Tertia enim exceptio generaliter fit ab Innocentio his verbis: Nisi causa necessitatis suadeat: vbi Glossa hoc extendit ad causam honestatis, vel utilitatis, & in particulari hoc explicat in aliquibus casibus.

*Primus casus.*  
 Primus est supra commemoratus de morte alicuius superueniente, postquam Sacerdos semel sacrificauit, quem aliqui intelligunt & limitant, scilicet, si oporteat, statim sepeliri defunctum, & iuxta consuetudinem debeat Missa praecedere seu cantari. Paludan. vero hoc ampliat; quoniam post factam Missam de die occurrat causa rationabilis dicendi pro defunctis, vt si Parochianus petat anniuersarium.

*Paludan.*  
*Secundum.*  
 Secundus casus illius Glossae est, si dicta Missa, superueniat aliqua magna persona, quae velit Missam audire. Quem casum alij auctores admittunt, & intelligunt habere locum, etiam in diebus profestis: nam in diebus festis, pro quibuscunq; peregrinis existimant licere. Tertius casus addi solet, si occurrat necessitas communicandi infirmum. Quartus, si neces-

*Tertius.*  
*Quartus.*

sarium fit ad benedicendas nuptias, ne id fiat sine sacro. Quintus, si eodem die occurrat duplex officium, vt rogationibus: & hunc significauit D. Thomas hic, ad 2. vbi post exceptionem noctis Natiuitatis subdit; Sicut etiam in aliis diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expectanda, plures Missae celebrantur in die, puta, vna pro festo, & alia pro ieiunio, vel pro mortuis. Sextus casus est, quando Sacerdos, habet duas Ecclesias Parochiales, & non potest commode habere coadiutorem, & in vtraq; est populus, qui auditurus est Missam. Atq; hoc casus numerat Paludanus, in 4. distinctione 12. quaestione 1. articulo 4. quem imitatur Antonius 3. par. titulo 13. capitulo 6. §. 4. & 5. ac fere Soto in distinctione 13. quaestione 2. articulo 2. Turrecrem. dicto capitulo; Sufficit, & Durandus, in Rationali, lib. 4. cap. 1. & Nauarr. in Summa, in capitulo 25. num. 87. Septimum casum addunt Syluest. verbo, Missa 1. quaestio. 7. & Angel. 5. quaestio. 46. Victoria, numero 96. scilicet, si sit consuetudo in Ecclesia, vt duo hant sacra à duobus Sacerdotibus, & contingat alterum aegrotare, nam tunc auit posse alium supplere, & duas dicere. Denique alij addunt casum octauum, scilicet, si propter paupertatem Ecclesiae vel Sacerdotis, iudicio prudentium id censetur necessarium. Nonum addit Durandus, lib. 2. de Ritibus Ecclesiasticis, capitulo 7. ex Leone Papa, epistola 31. ad Dioscor. scilicet, si ob solemnem festiuitatem tam numerosus est populi conuentus, vt vna Basilica eum simul capere non possit: nam tunc sacrificij oblatio iteratur ab vno Sacerdote, si alij desint, ne hi tantum, qui primi aduenerunt, ad sacrificium recipi videantur, & ceteri excludi. Imò refert ex D. Gratiano, de rebus Ecclesiasticis, c. 21. eundem Leonem vna die septies, & nouies hac de causa Missarum solemnia celebrasse.

Vt autem de huiusmodi casibus aliquod possumus praecipuum ac morale ferre iudicium, supponendum est: nullum Sacerdotem posse vllam Missam dicere, nisi sit ieiunus, vt supra late dictum est, de communionem huius sacramenti; quod de sacrificante adeo verum est, vt is, qui vinum, vel aquam, quae ad purificandum calicem infundi solent, acceperit, non possit aliam Missam dicere, vt praescribit Innocentius tertius in capitulo, Ex parte, de Celebratione Missarum. Secundo obseruare oportet, dupliciter posse Sacerdotem bis sacrificare; primo ex directa, & praconcepta intentione, nimirum, quia, cum vnam Missam dicit, habet animum dicendi aliam. Secundo ex subsequente tantum voluntate ob repente natam occasionem, vel nouam rationem consideratam post dictam primam Missam. Hoc igitur posteriori modo moraliter loquendo non potest casus accidere, in quo post vnam Missam liceat aliam dicere: quia quandoquocumq; Sacerdos celebrat absque animo iterum celebrandi, limitat calicis purificationem: non ergo potest iterum celebrare. Hinc ergo excluduntur nonnulli ex praedictis casibus: nam primus locum non habet: supponit enim casu accidisse occasionem pro mortuo sacrificandi. Dices, potuisse prauideri periculum mortis futurae, & ob eam causam non esse superuenit vinum perfusionis. Sed contra: nam, si prauius fuit occasio, non debuit prius sacrificari, sed expectari tempus; in quo illi necessitati satisfaciatur, & idem argumentum fieri potest in quolibet casu simili: quia quandoquocumq; potest Sacerdos, differendo paululum sacrificandi tempus vna Missa occurrere pluribus necessitatibus, non est cur illi demus licentiam bis sacrificandi. Sed dicitur, occurrere potest necessitatem non differendi sacrificium, expectando nihilominus, an infirmus moriatur, nec ne: ergo licebit tunc statim sacrificare ad satisfaciendum populo, verbi gratia, volenti audire Missam, vel ob aliam similem causam, & nihilominus praecavere eam.

Solutio.

sumptione ablutionis, vt subueniat necessitati proximi, si forte paulo post moriatur. Sed in primis huiusmodi casus cum tot circumstantiis vix potest moraliter occurrere, & quamuis illum admittamus, iam tunc non est sola vna necessitatis causa, prout in illo casu dicebatur, sed duplex, vna ad non differendum, alia ad iterum sacrificandum, & fortasse sola occasio mortis alicuius personae non est sufficiens causa ad Missam iterandam: quia neq; propter solemnitatem, & pompam sepulturae: illa enim per se non est causa grauis, cum saepe fieri soleat post prandium, & sine sacro, neq; etiam propter suffragium, quia id fieri poterit subsequente die, nec necesse est, vt quam citissime fiat, alioqui etiam liceret tribus & quatuor sacrificiis eodem die, mortuo succurrere, ne totidem diebus suffragia differantur. Atq; idem discursus fieri potest in secundo casu: in quo adhuc lenior causa ponitur, quae reuera per se non sufficit ad iterandum sacrificium, vt cum Turrecrem. notauit Durand. supra, quia illa non est vera necessitas. Quod enim inconueniens est, si Episcopus, vel alia persona nobilis Missam non audiat, quia nullus adest Sacerdos, qui iure possit illam dicere? Et idem fere est de tertio & quarto casu. Quocirca haec tot casuum enumeratio solum est arbitrio horum authorum multiplicata: quia fortasse ob Sacerdotum penuriam existimabatur, prohibitionem hanc bis in eodem die sacrificandi non tam rigose obligare. Si autem consideremus verba legis, quae causam necessariam postulant, & praesentem consuetudinem & moralem praxim; quatuor primi casus, vix possunt venire in vsum. Quintus vero aliquando habebit locum, vt verbi gratia, si sit dies Paschae solemnis, vel similis festiuitas, & in eo oporteat, dicere Missam pro defunctis, tunc si vnus tamen sit Sacerdos, erit sufficiens ratio, vt rursus Missam diei post Missam defunctorum dicat: quia nullus esse potest casus necessitatis moralis, in quo magis hoc liceat, quam in praedicto, & tamen Alex. Pap. dicit, in casu necessitatis licere, vnam Missam diei dicere, & aliam de defunctis, & ita etiam posset, quoad hanc partem exponi D. Th. ibi citatus, quamquam, vt Sor. notat D. Th. ibi non loquitur de pluribus Missis dicendis ab eodem Sacerdote, sed solemniter à Clero, vel Conuentu. Sextus autem casus de pluribus parochiis est proprius, ac fere solus in vsu. Solum addo, in eo casu non tantum duas, sed etiam tres Missas dici posse, si eadem sit proportionalis necessitas, quod tamen dicti auctores sine causa generaliter negant, dicentes, bis Missam dicere, interdum licere; ter vero nunquam, cuius rei nullam rationem adducit, cum tamen iura indifferenter loquantur de pluralitate. Quocirca, non solum in hoc casu, sed etiam in quocunq; si eadem grauis causa, vel necessitas occurrat ad tertiam Missam dicendam, quae ad secundam, aequè licebit: quia lex & exceptio est eadem, solum ergo poterit esse differentia, quia non tam facile occurreret necessitas dicendi tertiam Missam, sicut secundam. Sed quaeri potest, an hic sextus casus extendendus sit ad dies artificiales, vel limitandus ad festos. Videtur enim in his tantum occurrere vera necessitas. Auctores in hoc nihil dicunt, mihi tamen videtur si in vtraq; Parochia sit sufficiens populi multitudo, non esse hoc limitandum ad dies festos, & ad necessitate praecipue audiendi Missam: quia facis est grauis causa, quod populus non priuatur suo sacrificio, & oportunitate audiendi Missam. Videtur ergo hoc licitum in quocunq; die. Erit autem optimum consiliū, seruare consuetudinem, quae in his rebus magnam vim habet. Aliud vero dubium circa hunc casum interrogatum est de Sacerdote habente plures Parochias, si feria quinta cenae Domini in singulis sacramentum in monumento reponat, quo modo in feria sexta vtrumq; consumet, & est ratio dubij, quia in feria sexta non consecrat sanguinem, sed sumit vinum in eum particula hostiae consecratae in illo immissa, vn-

Turrecrem. Durand.

Alex. Pap.

Tres Missae aliquando dicuntur.

Quaeritur.

Responsio.

Aliud dubium.

de sit, vt non maneat icimus ad consumendum sacramentum in alia Parochia: quid ergo faciet? Quidam dicunt, posse tunc secundo communicare post vini corruptionem, ne vel alteram Parochiam priuēt Missa, seu officio illius diei, & solemnitate monumenti, vel Ecclesiasticae caeremonias praetermittat. Sed haec licentia est contra commune ius, & nulla auctoritate vel consuetudine nititur, & ideo nullo modo probanda est. Debet ergo Sacerdos, si solus sit, & adiutorem non habeat, eo die solum in vna Parochia principaliori, monumento erigere, & officium illius diei perficere, neq; propterea alia Ecclesia patietur graue aliquod incommodum. Nam facile possunt eo die omnes Parochiani ad vnam Ecclesiam principaliorem conuenire. Sed quid? si prius non prauidit Sacerdos impedimentū, & in vtro loco sacramentum reposuit in monumento, & postea visa difficultate, perplexus est? Respondetur, si nondum peregit officium in altera Parochia, posset non sumere vinum in priori officio, neq; illud in calicem mittere, sed solum particulam hostiae, quia illa caeremonia non est adeo essentialis. Si autem iam sumpsit vinum in altera Parochia non peragat officium, sed recondat sacramentum in sacrario. Septimus autem casus mihi videtur insufficientis, quia causa illa valde leuis est. Oetauus autem reprobatus videtur ab Alexandro, dum specialiter hoc prohibet fieri propter lucrum. Nonus autem mihi videtur per se valde probabilis. Quamuis Leo Papa non loquatur aperte de eodem Sacerdote.

Dubij solutio

Alteri dubio satisfi.

SECTIO IV.

Qua hora licitum sit Missae sacrificium offerre.

Supponendum est, diem naturalem, in quo semel tantum sacrificare licet, iuxta dicta in praecedente sectione, a media nocte vsq; ad mediam noctem computandum esse, vt constat ex Ecclesiae consuetudine & ex praecipio icimus, vt supra tractando de vfu communionis, tactum est. Deinde sumendum est vt certum ex eadem consuetudine Ecclesiae, & ex iuribus infra citandis, non omnes partes huius diei naturalis esse indifferentes, seu libere permittas ad sacrificandum, quia ex se ac regulariter loquendo, neq; nocturno, neq; etiam toto vespertino tempore licitum est Missam dicere, & ideo oportet in primis duos terminos designare intra hoc tempus naturalis diei, intra quos debeant Missae inchoari, vel finire. Deinde declarandum erit, an intra illos terminos sint aliqua hora specialiter deputata ad Missam dicendam.

Intra diem naturalem

Alen. Anton. Gabriel.

Dico primo: Initium aurorae est terminus, ante quem regulariter non licet Missam inchoari. Ita D. Thom. hic, ad 4. & in 4. d. 13. q. 1. articulo 2. & ibi reliqui Doctores Alexan. Alen. 4. part. q. 36. memb. 2. D. Antoninus 3. part. titul. 13. cap. 6. §. 4. Gabriel lect. 1. 4. in Canon. & omnes Summistae verbo, Missa, & patet ex consuetudine Ecclesiae, & ex regulis Missalis Ratio vero mystica redditur, quia in hoc sacrificio offertur Christus, qui est candor lucis aeternae, & de se dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Item, quia hoc sacrificium est legis gratiae, in qua diuina claritas illustris communicatur. Literalis autem seu humana ratio esse videtur, quia ante illud tempus communiter loquendo, non sunt homines conuenienter dispositi ad huiusmodi religionis opus, quod publice & cum debita reuerentia fieri debet, & fortasse etiam hoc factum est, ne ex nocturnis contentiulis ad Missam dicendam, superstitionis occasio sumeretur.

Sed quaeri potest primo, an, sicut ante illum terminum sacrificare non licet, ita ab illo liceat. Et ratio dubitandi sumi potest ex Telephoro Papa, in ep. Telephoro decretali, c. 2. vbi dicit: Missas non esse celebrandas ante

ante horam tertiam diei, quia & illa hora Dominus crucifixus est, & ad Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur: cap. Nocte sancta, de Consecrat. distinctione prima. At vero, hora tertia longe distat ab initio aurorae per quatuor horas, vel circa. Respondetur nihilominus ab illo puncto diei licitum esse Missam dicere, Ita D. Th. & reliqui Doctores, & sufficienter id probat Ecclesiae consuetudo: imo sequitur plane ex precedenti assertionem, sine causa enim assignaretur aurora, & terminus, ante quem non licet sacrificare, nisi ab illo liceret. Ratio vero est moralis quidem, seu literalis, quia totum illud matutinum tempus est aptissimum ad huiusmodi ministerium: est etiam tempus lucis, & ideo etiam mystica ratione aptum est, ut in eo Christus, qui lux vera est, offeratur. Decretum autem illud Telephor. exponi in primis potest de Missis diei solemnibus, seu conuentualibus, de quibus est peculiaris ratio, ut infra dicam. Deinde si generatim intelligatur, dicendum est, per contrariam consuetudinem esse reuocatum, & forsasse olim Missae tardius inchoabantur, quia & minor erat numerus Sacerdotum, qui poterant paucioribus horis Missas absolvere: erat etiam maior fidelium deuotio, ut quacumque diei hora, intermissis etiam priuatis operibus seu laboribus, ad Missam audiendam conuenirent: facilius etiam ieiunabant, tardiusque prandebant, & ita licet Missae tardius inchoarentur, poterant facilius ante prandium absolui: nunc autem, & sacerdotum numerus maior est, & aliae circumstantiae magna ex parte sunt immutatae: & ideo mirum non est, quod tempus etiam dicendi Missam fuerit anticipatum. Quod si ad representationem passionis Christi attendamus, non deerit congruentia: quia Christus summo mane oblatum est Pilato & Gentibus: & ideo ex tunc quodammodo morti tradi incepit.

*Responsio.  
D. Thom.*

*Quaestio qua-  
simum.*

*Gabriel.  
Scorus.*

*Quaestio sa-  
risie.  
Palacium.  
Vidor.*

*Quaestium.  
Responsio.*

*Syluest.  
Angel.  
Tabien.  
Armill.  
D. Thom.*

Secundo inquiri potest, quid nomine aurorae intelligendum sit. D. Tho. & authores omnes docent, non esse per auroram intelligendum ortum solis, id est, ascensum corporis solaris supra nostrum horizonem, sed initium crepusculi diei, seu primam lucem irradiationem. Hinc Gab. supra cum Scoto in 4. d. 13. q. 2. dicunt, licitum esse inchoare Missam vna hora, & quarta parte alterius ante ortum solis. Sed nimia est ad rem moralem Mathematica haec mensura: non enim possunt res morales tam diuisibiliter prescribi, praesertim, quia crepusculum diei non semper est aequale: non erit ergo peccatum: hora & dimidia ante ortum solis sacrificare: imo addit Palud. supra, q. 2. & clarior Victor. in Sum. n. 97. posse licite inchoari Missam dimidia hora ante crepusculum, ita ut finis Missae sit sub initium crepusculi, plus minusve. Et hoc est in praxi seruandum.

Tertio inquiri potest, an sit aliqua exceptio ab hac generali regula. Prima & certa est de nocte Natiuitatis, quae est indubitata, quoad primam Missam: quae inchoanda quidem non est ante mediam noctem: quia antea non incipit dies Natalis Domini: neque ante illam horam natus est Christus, ut in superiori tomo ostendi: ab illa tamen hora, completo matutino, dici potest iuxta Ecclesiae consuetudinem. Tamen de secunda & tertia, est dubia: nam fere omnes censent, privilegium illud esse limitatum ad primam Missam, & ideo non licere ceteras anticipare ante certam horam. Ita Syluester, Angel. Tabien. Armill. numer. 37. & D. Thomas hic, ad quartum, in singulari dicit: In nocte Natalis Domini Missa celebratur: non dicit (Missae). Huius autem sententiae nullum in iure fundamentum reperire potui: nam in dicto cap. Nocte sancta, nec de prima Missa, nec de Missa in singulari sermo est, sed absolute dicitur: Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Presbyteri: cur ergo limitabimus hoc privilegium ad primam potius, quam ad ceteras Missas?

Praesertim, quia statim subditur, reliquis vero temporibus non esse Missas ante diem celebrandas: ergo non solum vna Missa illius festiuitatis, sed absolute tempus illius noctis excipitur, ut in eo possint Missae celebrari. Accedit, quod Platina in vita Telephi. sic Platini inquit: Statuit, ut in Natali Iesu Christi nocte tres Missae celebrentur, prima in dimidio noctis, quando Christus in Bethlehem natus est, secunda, illucescente aurora, quando a pastoribus agnitus est: tertia, eadem hora diei, quae nobis dies redemptionis & veritatis illuxit. Quae distributio ab ipso Platina accommodata videtur: nam in Decreto Pontificis non continetur. Vnde solum fuisse videtur ab eo statutum, ut tempore nocturno possint illae tres Missae inchoari. Quod autem necessarium debeant interrumpi, & post finitam primam Missam expectari lux diei, ut secunda inchoetur, hoc non legitur ab eo statutum: nec videtur posse colligi ex illo mysterio, seu representatione pastorum: nam vna constat, eos non venisse ad Christum adorandum ante lucem diei? Ex textu enim Euangelico colligi non potest: nam Luca 2. dicitur Angelus apparuisse pastoribus custodientibus vigilias noctis super gregem suum: & statim subditur, eos festinantem iussit ad videndum Verbum sibi reuelatum. Deinde, neque ex officio illius secundae Missae colligi potest, non posse dici tempore noctis: nam intronatus eius sic incipit: Lux fulgebit hodie super nos: quae verba propriissime videntur posse dici tempore nocturno, quoniam etiam de tertia Missa, ait D. Thomas hic, ad 2. Thom. posse ad generationem aeternam accommodari: quia in eo Euangelium dicitur de aeterna generatione: & hac ratione poterit dici in nocte, quia illa generatio, quantum ad nos, est occulta, & in diuina caligine, vel si referatur ad natiuitatem temporalem, quia introitus incipit (Puer natus est nobis, &c.) etiam illa nocte perfecta est: ergo hac ratione non repugnabit, etiam tertia Missam nocti dicere. Denique esse potest congruentia: quia tota illa nox propter Christi claritatem dies ab Ecclesia reputata est: & ideo facultatem nobis fecit, Missam ea nocte dicendi: ergo non est, cur limitemus hoc privilegium, sed ex quo tempore possunt ea nocte tres Missae inchoari, censendum est iam absolute illud esse tempus legitimum ad sacrificandum: & consequenter, finita prima Missa, posse inchoari secundam sine respectu ad lucem aurora. In hac verum esse censeo ex primaria institutione huius caeremoniae, intentionem Ecclesiae fuisse, ut prima Missa dicatur post mediam noctem: secunda in aurora: tertia in plena luce, ut hic D. Thomas dicit ad secundum. Vnde solum in prima Missa dicitur, (Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes) dicitur, & ita est in Missis solemnibus obseruandum, ad quas praecipue respicit institutio, & horarum distributio. Nihilominus tamen in Missis priuatis existimo, hoc non esse sub praecocepto necessarium, sed quouis tempore, in quo prima Missa legitime absoluitur, posse inchoari secundam, & consequenter tertia Missam: quia neque ex iure potest aliud praecoceptum factis ostendi, ut declaratum est, neque ex consuetudine: nam potius regulariter ita fit sine scrupulo, neque ex ratione, quia iam tempus illud designatum est, ut legitimum ad sacrificandum: & non est res admodum grauis, vel necessaria, in Missis priuatis seruari illam temporum distributionem, quod fere in aliis horis, vel officiis Ecclesiasticis semper ita seruatur. Item, si quis forsasse non posset Missam festiuitatis ea nocte dicere, posset pro sua deuotione dicere Missam de Beata Virgine, eamque posset nocte dicere: & similiter, qui non posset dicere tres Missas, sed tantum vnam, posset pro deuotione sua dicere tertia, omittens prima & secunda, eamque nocte dicere posset, quia privilegium non est limita-

tum ad officium primæ Missæ : ergo eadem ratione, qui dixerit primam Missam, poterit consequenter dicere secundam & tertiam, quamvis nox duret; quia etiam non est privilegium limitatum ad unam tantum Missam. Vnde non refert, quod in secunda & tertia Missa dicatur, Et diem sacratissimum celebrâtes: tum, quia à tempore noctis computatur totus ille dies naturalis: tum etiam, quia verba non semper referuntur ad tempus, in quo dicuntur, sed ad tempus, pro quo representando & commemorando dicuntur; sicut (& est optima confirmatio totius sententia) in prima etiam Missa dicitur: (Et nocte sacratissimam celebrantes) & nihilominus, quoad Missas priuatas non est necesse, semper eam Missam nocte dicere, sed absq; villo peccato dici potest in plena luce; ergo similiter fieri potest à cōuerso. Est ergo hæc sententia satis probabilis & obfcura.

*Sententia facta in probabili & obfcura a Exceptio.*

Secunda exceptio esse potest de nocte resurrectionis, in qua iuxta antiquam consuetudinem Missa nocte dicebatur: quoniam Dominus nocte resurrexit: imò ait hic Diuus Thomas ad 4. illam Missam dici solitam circa noctis principium, ex capit. Solent, de Consecrat. distincti. 1. & cap. Quod à Patribus, dist. 75. quod intelligendum est, quantum ad prophetias, & alias ceremonias, quæ illa nocte fiebant ante Missam: nam Missa ipsa non inchoabatur ante dimidiam noctem: quia neque Christus Dominus antea resurrexit: Nunc vero iam illa consuetudo cessauit: diciturque illa Missa in Sabbatho sancto paulo ante meridiem. Quapropter non censo, iam esse licitum illa nocte facere sacrum ante consuetum tempus auroræ: quia iam consuetudo cessauit: quod maxime verum est de Missis priuatis: nam Missæ solemnes in aliquibus locis adhuc consueuerunt cantari nocte illa: curandum vero est, vt id semper sit circa initium auroræ: maxime ob motum proprium Pij V. statim citandum.

*3. Exceptio*

Tertia exceptio generalis nulla est, sed ex priuilegio aliquibus concessum est, vt vna vel duabus horis ante auroram celebrare possint: quæ priuilegia semper sunt intelligenda secundum anticipationem totius illud, in quo sine priuilegio potest Missa legitime dici. Itaque, si priuilegium concedit vnus horæ anticipationem, poterit Missa inchoari tribus horis ante ortum Solis; cum sine priuilegio possit inchoari duabus horis ante Solem. Et ratio est clara, quia priuilegium tantum operatur, quantum sonat. Hæc autem priuilegia non sunt generalia, aut in iure contenta, sed vel personalia, vel regularia (vt sic dicam) & ideo non cadunt sub scientiam, sed vnusquisque scire debet, quo priuilegio vti sibi liceat. Non omitam autem aduertere, Episcopum hoc sibi priuilegio, quod, dum iter agit, potest Missam ante auroram dicere: vel alteri concedere, vt eam sibi dicat, quod notauit Glossa in c. vlt. de priuilegiis, in sexto, quamuis id nullo iure probet: nam in illo textu solum eis conceditur priuilegium, vt possint deferre secum altare viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrare in quocunq; loco non interdito: Glossa vero extendit priuilegium, etiam ad tempus: quia ratio videtur esse eadem: estq; illa Glossa communiter recepta, & fortasse hoc non est, tam ex priuilegio, quam ex ordinaria Episcopi potestate. Nam omnes citati auctores dicunt, posse Episcopum dispensare in hac prohibitione, & facultatem concedere celebrandi ante prædictum tempus auroræ: ergo multo magis poterit Episcopus iter agens, vel secum dispensare, vel cum alio, qui sibi ministrat: quod vero Episcopus eam potestatem dispensandi habeat, omnes supponunt: vel, quia ordinario iure id sibi competit, cum non sit specialiter referuatum: vel certe, quia hæc lex, sicut est consuetudine introducta, ita eadem consuetudine est hoc modo intellecta; seu declarata.

*Priuilegium tantum operatur, quantum sonat.*

*Notabil.*

Franc. Suarez Tom. 3.

Dico secundò; Tempus legitimum, intra quod debent Missæ absolui vel inchoari, est antemeridianum tempus, ita vt ante meridiem debeant, per se loquendo, Missæ inchoari, vt legitime dicantur. Hæc est magis recepta sententia, magisq; secuta: quam tenet Gabriel, lect. 14. in Canon. Maior, in 4. dist. in c. 13. q. 4. Soto, ibi, quaest. 2. art. 2. & lib. 10. de Iustitia, quaest. 5. articul. 4. Ioannes Andreas, in cap. 1. de Celebrat. Missæ & alij, quos refert, & sequitur Marcellus, libro de horis Canonicis, cap. 41. & Durand. libr. 2. de Ritibus Ecclesiæ, cap. 7. Et potest confirmari ex Ritibus Missalis, vbi dicitur, Missas priuatas dicendas esse ab aurora vsque ad meridiem: & Concilium Tridentinum, sessione 22. capit. de obseruandis in ritu huius sacrificij, præcipit, ne Sacerdotes alij, quam statutus horis celebrent: sed prædictum tempus est iam statutum in Missali: ergo non licet, illud præterire. Est etiam hoc iam consuetudine introductum: quæ fortasse ex hominum fragilitate incepit: tamen propter reuerentiam sacrificij introducta est, & in ea fundatur: pertinet enim ad reuerentiam huius sacramenti, vt ante prandium conficiatur, vt, tam qui celebrat, quam qui assistit, decentius ac deuotius id agat: est autem iam communis consuetudo, vt prandium vltra meridiem non differatur: & ideo merito introductum est, & consuetudine receptum, vt etiam sacrificia in meridie plus minusve absoluantur.

*1. Concilijs.*

*Gabriel. Maior. Soto. Ioan. And. Marcell. Durand.*

Quod autem hæc consuetudo vim præcepti induxerit, præter adducta omnia, constat ex communi sensu populi Christiani: generatur enim graue scandalum, si aliter fiat sine priuilegio, aut grati causa. Colligit etiam potest ex priuilegiis, quæ inter cetera Pontifices concedunt dicendi sacrum, vna vel duabus horis post meridiem: item ex eo, quod Episcopi grauitè puniunt eos Sacerdotes, qui post meridiem Missam dicunt, in obsequium quorundam Magnatum, qui vsq; ad illud tempus, sacrum audire differunt: & ante paucos annos, quia in Regis Catholici cura multum abutebantur huiusmodi priuilegiis, ea Sixtus V. per Nuncium suum reuocauit. Est ergo hoc, per se loquendo, sub præcepto: quamquam non desint auctores graues, qui dicant, licere Missam dicere per totam horam nonam diei, vsq; ad tertiam horam post meridiem. Ita Nauarr. in Summa, c. 25. n. 85. & lib. de Oratione, cap. 21. n. 22. in qua sententiam inclinam Scot. & Durand. in 4. d. 13. q. 2. & Summa Angelicæ, & Rosel. verbo, Missa, n. 46. & alij, quos refert Durand. supra. Sed reuera id non clare dicunt, nec generaliter. Fundamentum Nauar. est, quia hoc licuit olim in Ecclesia & hora nona erat aptissima: quia in illa passus est Christus: & contraria consuetudo non videtur causa deuotionis, aut religionis introducta, sed propter humanam commo ditatem: & ideo non videtur induxisse obligationem. Sed, neq; constat, hoc aliquando generaliter licuisse, saltem à multis annis: nam, vt supra retuli, Telephor. Papa dixit, hora tertia esse Missas celebrandas: quia illa passus est Christus; & iam est declaratum, quamuis forrasse illa consuetudo incepit occasione humanæ fragilitatis & commo ditatis, tamen rationem eius præcipuam esse reuerentiam sacrificij.

*Consuetudo hæc vim præcepti induxit.*

*Nauarr.*

*Scotus. Durand. Sum. Ang. Sum. Rosel.*

Quocirca non existimo, sententiam hanc posse tuto & in praxi seruari: regulariter, & absq; alia causa. In aliquo autem raro casu, vt, verbi gratia, si festum sit solemne, & Missa publica & concio non finiantur vsq; ad vnam, vel duas horas post meridiem tunc posset Missa priuata inchoari post finitum solemne officium, maxime, ne aliqua pars populi Missa priuatur, iuxta doctrinam Leonis Papæ, d. epistol. 31. ad Dioscorid. capite 2. Idemque permitti potest, si ratione itineris occurrat necessitas celebrandi in die festo paulo post meridiem, dummodo vnus horæ tempus non excedatur; quod significauit Soto supra: & fauet consuetudo: imo & regula Missalis, in

*Sententia uatboris.*



qua non sine causa additur illa particula (communit-  
ter.) Ac deniq; quia res morales, quâdo non sunt per  
legem omnino declarata ac limitata, non possunt  
indivisibiliter designari; præsertim, quia hæc res nõ est  
tam gravis, vel necessaria ad honestatem; vt, inter-  
cedente rationabili causa, non possit prædicto modo  
ampliari.

*Quæsto sa-  
ripi.*

Sed quæres primò, an à prædicta regula faciendi  
sit aliqua exceptio. Respondeo, ex privilegio certum  
est, posse fieri, & de facto fieri aliquibus religiosis  
& aliis personis. Item existimo, posse Episcopum in  
hoc dispensare ex rationabili causa, quia non videtur  
esse maior ratio de temporis anticipatione, quam de  
postpositione. In neutro autem casu existimo posse  
Episcopum concedere privilegium generale, hoc enim  
proprium est summi Pontificis propter supre-  
mam potestatem; sed potest tatum in particulari ca-  
su dispensare ex rationabili causa occurrente. At ve-  
ro iure ordinario nulla videtur esse exceptio facien-  
da, de qua certo constat, iuxta præsentem Ecclesiæ  
consuetudinem. Dicitur enim solet communiter, in die-  
bus ieiunij, præsertim quatuor temporum, & in Sab-  
batho sancto, posse Missam dici post horam nonam  
diei, id est, in quarta & postrema diei parte; quæ ab  
hora tertia pomeridiana incipit, quia ita olim fiebat:  
Vt colligitur ex c. Solent, de consecrat. d. 1. & c. Quod  
à Patribus, & c. vlt. d. 75. & notat hic D. Thom. ad 3. ar-  
vero licitum est, antiquam consuetudinem renoua-  
re. Atq; ita sentit Nauarr. præsertim de Missis solemnibus,  
lib. de orat. c. 3. n. 42. Sed existimo iam illos ritus  
fuisse omnino abrogatos, & ideo non licere, etiã illis  
diebus, Missæ sacrificium, etiam si Ordinationes sint  
faciendæ, vel officium Sabbati sancti sit dicendum,  
vespertina hora illud inchoare: quia oportet esse in  
Ecclesia aliquid certum & stabile in huiusmodi ritibus.  
nec liceat vniuscuiusq; arbitrio res novas introduci,  
& ideo postquã prior ritus abrogatus est, & alius in-  
troducitur, hic est seruandus; nec licitum est vnicuiq;  
sua auctoritate priorem reuocare. Præsertim, quia  
Pius V. speciali quodam motu proprio vetuit omnes  
nocturnas, vel matutinas Missas, etiam in Sabbatho  
sancto, & Conc. etiam Trid. loco supra citato huic fa-  
uet sententiæ.

*Nauarr.*

*Pius V.*

*Conc. Trid.*

*Alii qua-  
sio satis*

Vltimo inquiri potest, an inter hos duos terminos  
à nobis designatos sint aliqua horæ certius determi-  
nata, in quibus Missæ dicendæ sint. Responderetur,  
pro Missis peculiariibus nullas esse horas præfixas, sed  
in quacunque parte illius temporis indifferenter dici  
posse. Ita sentiunt omnes Theologi in d. 4. 13. Alensis  
4. part. qu. 36. Gabriel. lect. 14. in Canon. Antoninus  
3. part. tit. 13. c. 6. & omnes Summistæ; Verbo, Missa,  
Nauarr. lib. de oratione, c. 21. num. 31. & sequentibus,  
& in Summa, c. 25. num. 85. Turrescrem. in d. c. Noctæ  
sanctæ. At vero de Missis solemnibus iidem autho-  
res cum D. Thoma hic ad tertium dicunt, solemnem  
Missam celebrandam esse ea hora, qua Christus pro  
nobis passus est: Euangelistæ autem vario modo nar-  
rant horam passionis Christi, nam Marcus dicit, cru-  
cifixum esse hora tertia; Ioannes, hora sexta: & om-  
nes narrant horam nonam expirasse. Quo factum est,  
vt prædictæ tres horæ ad solemnes Missas dicendas  
designatæ sint, quamquam non eodem modo, vt iam  
dicam. Est enim obseruandum ex his, quæ in præce-  
dente tomo late tractauimus de hora passionis Chri-  
sti; has horas non esse ex his vsualibus, quæ natura-  
lem diem in viginti quatuor partes diuisum compo-  
nunt, sed significare tria tempora diei, ad orationem  
vel sacras actiones deputata, & vnumquodq; horum  
tres horas vsuales completi, illamq; horam seu tem-  
pus, quod Tertia dicitur, & regulariter incipere hora  
nona vsuali totius diei, quæ solet esse tertia hora ab  
aurora, seu ab ortu solis. Olim ergo consuetudo Ec-  
clesiæ tenuit, vt in diebus festis Missa solemnis fieret  
hora tertia: id est, ab hora nona vsuali diei vsque ad

*Ioannes*

*Hora nona  
vsuali diei  
crucifixus est  
Dominus.*

meridiem, quia illa hora crucifixus est Dominus non  
tantum linguis sed etiam oculis, vt communiter dicitur,  
sed & re ipsa, vt veritas Euangelij Marci requirit, quia  
saltem in fine illius temporis crucifixus est, in quo  
instabat hora sexta: & ideo idem tempus, quasi hora  
sexta appellatum est à Ioanne. Hæc autem Ecclesiæ  
consuetudo constat ex decreto Telephori, dicitur E.  
pistola decretali, cap. 2. & ex Concilio Aureliano III.  
cap. 11. vbi alia ratio literalis huius statuti redditur:  
scilicet, vt possint Sacerdotes, citius expedire ante-  
meridiano officio, commodius ad vespertinum con-  
uenire. Colligitur etiam ex August. prout refertur in  
cap. Et hoc, de consecratione d. 1. & apud Burchard.  
lib. 2. c. 74. vbi alia ratio redditur: scilicet, quia ex-  
pedit, vt populus ante officium sacrum peractum, ad ci-  
bum non accedat, quod fiet commodius & suauis,  
si mature circa meridiem totum diuinum officium,  
& sacra conicio, quæ illi adiungi solet, absoluantur,  
colligitur etiam prædicta consuetudo ex Greg. hom.  
37. in Euangelia in illis verbis, quæ de sancto Calisto  
scribit: Quibus auditis Episcopus se in oratione cum  
magna cordis contritione prostrauit, & cui oblatio  
orationis magnitudine horam nonam vsq; protelatur.  
Hinc etiam in cap. Non liceat, d. 44. Hora tertia sacra  
dicitur, antequam non oportet clericos, vel laicos  
inire conuiuia: quia, nimirum ad officium Missæ so-  
lemne deputata erat. Deniq; hoc ipsum constat ex o-  
mnibus antiquis Scriptoribus de rebus & officiis Ec-  
clesiasticis, V Valfrido Strabone, cap. 22. Amalario li-  
bro 3. cap. 72. & lib. 4. cap. 40. Durando, lib. 4. Ratio-  
nal. Alcum. lib. de diuinis officiis. Et adhuc con-  
suetudo fere in Ecclesia retinetur, quæ reuera est et  
iam humanis vsibus valde accommodata. Neque so-  
lum, quoad horam seu tempus diei, sed etiam, quoad  
horam Ecclesiasticam (vt hæc dicam) hoc seruatur,  
nam in diebus festis prius canitur Tertia in choro, &  
statim Missa solemnis inchoatur. Et vero in diebus  
profestis dicebatur Missa solemnis hora sexta, id est,  
in meridie, vt hic D. Thomas, & alij authores citatis D. Tho-  
locis referunt: nam circa hoc nullum speciale decre-  
tum inuenio, imminuat vero ab Ambrosio loco hæc  
citando. Hæc vero consuetudo iam non seruat-  
ur in Ecclesia, nisi quoad horam tantum Ecclesiasti-  
cam, quia, scilicet, in diebus profestis prius recitatur  
seu canitur Sexta in choro, & statim Missa solemnis  
inchoatur, quoad diurnum vero tempus eodem tem-  
pore dicitur Missa solemnis in diebus profestis: quo  
in festis, ino maturius dici solet in diebus profestis,  
quia minor solet esse populi conuentus, & ideo exi-  
matur humanis vsibus magis accommodatæ, & mys-  
tica ratio, quæ sumi solet ex eo, quod Christus est cruci-  
fixus hora sexta, reuera non est solida, quæ vt dixi, Chri-  
stum fuisse crucifixum hora quasi sexta apud Ioa-  
nem, & esse crucifixum in fine horæ tertiæ, apud Mar-  
cum: non sunt duo, sed vnum & idem. Tandem refe-  
runt dicti authores, horam nonam fuisse deputatam, in  
vt in diebus ieiunij Missa eo tempore diceretur, i. hora  
tertia vsuali pomeridiana. Ita colligitur ex cap. So-  
lent, de Consecratione, dist. 1. & ex Ambrosio, serm.  
8. in Pf. 118. circa illa verba: Media nocte surgebam ad  
confitendum tibi. Indictum (inquit) est ieiunium, ca-  
ue, ne negligas, & si te fames quod diuini cogit ad  
prandium, vt intemperantia declinet ieiunium, tam-  
en cælesti magis te seruato conuiuio, non epule pa-  
rata extorqueant, vt coelestibus sis vacuus stramē-  
tis, differat quantulum, non longè hinc est diei signi-  
ficat ergo, fuisse consuetudinem dicendi Missam, &  
dandi communionem in diebus ieiunij, circa hinc  
diei: de aliis vero communibus diebus subdit. Ple-  
que sunt eiusmodi dies, vt statim meridianis horis  
(hoc est hora sexta) adueniendum sit in Ecclesiam,  
canendi hymni, celebranda oblatio. Hæc autem  
consuetudo etiam seruatur, solumq; seruatur, quoad  
Eccle-

Ecclesiasticam horam, quia his diebus consuevit prius hora nona in choro recitari, & deinde Missa cantari: quoad tempus vero ipsius diei, cessavit illa consuetudo, quia iam etiam prandium dierum ieiunij ad id meridianum tempus, & adhuc amplius anticipatum est: unde consequens etiam fuit, ut tempus celebrandi Missam anticiparetur. In his ergo omnibus iam nihil videtur esse sub precepto: nisi quod solemnis Missa consueto tempore fiat pro populi commoditate, quamvis anticipari, vel postponi aliquantulum possit ex causa rationabili. Per Missam autem solemnem, semper intelligimus Missam illam, quae Missa diei dicitur: non enim hic omnis Missa, quae cum cantu dicitur, solemnis appellatur: haec enim, iuxta varias consuetudines & detractiones, fere indifferenter toto matutino tempore dici potest, sicut Missa priuata. Ita enim habet consuetudo, neq; aliqua Ecclesiastica constitutio in contrarium oblat.

ARTICVLVS III.

Verum oporteat hoc sacramentum celebrari in domo & vasis sacris.

**A**d tertium sic proceditur. Videtur, quod non oporteat hoc sacramentum celebrari in domo & vasis sacris. Hoc enim sacramentum est representatiuum Dominicae passionis. Sed Christus non est passus in domo, sed extra portam civitatis, secundum illud Heb. vlt. Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Ergo videtur, quod hoc sacramentum non debeat celebrari in domo, sed magis sub dio.

2. Præterea, In celebratione huius sacramenti debet Ecclesia imitari morem CHRISTI, & Apostolorum. Sed domus, in qua primo Christus hoc sacramentum consecravit, non fuit consecrata, sed fuit quoddam commune coenaculum, à quodam patre familias preparatum, ut habetur Luca 22. Legitur etiam Actor. 2. quod Apostoli erant perdurantibus vnam in templo, & frangentes circa domos panem, & sumebant cibum cum exultatione. Ergo nec modo oportet domos esse consecratas, in quibus hoc sacramentum celebratur.

3. Præterea, Nihil frustra in Ecclesia fieri debet, quæ Spiritu sancto gubernatur. Sed frustra videtur adhiberi consecratio Ecclesie, vel altaris: & huiusmodi rebus inanimatis, quæ non sunt susceptivæ gratiæ vel spiritualis virtutis. Inconuenienter igitur huiusmodi consecrationes in Ecclesia sunt.

4. Præterea, Solum diuina opera debent recoli cum quadam solemnitate, secundum illud Ps. 91. In operibus manuum tuarum exultabo. Sed Ecclesia, vel altare, opere humano consecrantur, sicut & calix, & ministri, & alia huiusmodi. Sed horum consecrationes non recoluntur celebriter in Ecclesia. Ergo neq; consecratio Ecclesie vel altaris, cum solemnitate recoli debet.

5. Præterea, Veritas debet respondere figura: sed in veteri Testamento, quod gerebat figuram noui, non fiebat altare de lapidibus sanctis. Dicitur enim Exod. 26. Altare de terra facietis mihi, quod si altare lapideum feceris mihi, non edificabis illud de sanctis lapidibus. Exod. etiam 22. mandatur fieri altare de lignis Serbim vestris are, vel etiam auro. ut habetur Exodi 35. Ergo videtur inconuenienter obseruari in Ecclesia, quod altare fiat solum de lapide.

6. Præterea, Calix cum patina representat sepulchrum Christi, quod fuit excisum in petra, ut in Euangelij habetur, ergo calix debet de petra fieri, & non solum de argento, vel auro, vel stanno.

7. Præterea, Sicut aurum pretiosius est inter materias vaporum ita panni serici pretiosiores sunt inter alios pannos. Ergo sicut calix fit de auro: ita palla altaris debent de serico fieri, & non solum de panno lineo.

Franc. Suarez Tom. 3.

8. Præterea, Dispositio sacramentorum, & ordinatio eorum ad ministros Ecclesie pertinet, sicut dispositio rerum temporalium subiacet ordinationi principum secularium, unde & Apostolus dicit, 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum Dei. Sed si circa dispositionem rerum temporalium aliquid fiat contra statuta principum, habetur irritum. Ergo si hæc, quæ dicta sunt, & conuenienter sunt statuta per Prælatos Ecclesie, videtur, quod sine his corpus CHRISTI confici non possit. Et sic videtur sequi, quod verba CHRISTI non sint sufficientia ad hoc sacramentum conficiendum, quod est inconueniens. Non ergo videtur conueniens esse, quod hæc circa celebrationem huius sacramenti statuerentur.

Sed contra est, quod ea, quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur, qui dicit, Matth. 18. Vbi cum fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Respondeo dicendum, quod in his, quæ circumstant hoc sacramentum, duo considerantur. Quorum vnum pertinet ad representationem eorum, quæ circa Dominicam passionem sunt acta. Aliud autem pertinet ad reuerentiam huius sacramenti, in quo Christus secundum veritatem conuenitur, & non solum in figura. Unde & consecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in usum huius sacramenti, tum propter sacramenti reuerentiam, tum ad representandum effectum sacramenti, qui ex passione Christi procedit, secundum illud Heb. vlt. Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod regulariter hoc sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud 1. ad Timoth. 3. Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei vivit. Extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificij, ut Augustinus dicit. Et quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis Iudaicæ, sed erat in vniuerso mundo fundanda, ideo passio CHRISTI non est celebrata intra civitatem Iudæorum, sed sub dio, ut sic totus mundus se haberet ad passionem CHRISTI, ut domus. Et tamen, ut dicitur de consecratione, distinct. 1. cap. Concedimus, in itinere positus, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentorio, si tabernaculum altaris consecrata, ceteraq; sacra mysteria ad id effectum perueniant, ibi assuerunt, Missarum solemniter celebrari concedimus.

Ad secundum dicendum, quod domus in qua hoc sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, & Ecclesia nominatur, conuenienter tamen consecratur: tum ad representandam sanctificationem, quam Ecclesia consecrata est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent. Per altare autem significatur ipse Christus: de quo dicit Apostolus, Heb. vlt. Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo. Unde & consecratio altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur, Lu. 1. Quod ex te natus est sanctum, vocabitur Filius Dei. Unde de consecratione, dist. 1. dicitur, Altaria placuit, non solum veneratione chrisimatis, sed & Sacerdotali benedictione sacri. Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum, nisi in domibus consecratis. Unde, sicut habetur de consecratione, dist. 1. Nullus presbyter Missam celebrare presumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis. Propter quod etiam, quia Pagani non sunt de Ecclesia, nec alij infideles, & ideo eadem distinctione legitur, Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus & rasis parietibus, vel tignis eius loci, readificetur: sed si hæc consecrata prius fuerit, Missas in ea celebrare licet: tamen si fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt. Præter necessitatem tamen potest hoc sacramentum peragi in domibus non consecratis vel

0000 2 viola